

REGVM DALMATIÆ ET CROATIÆ GESTA.

A MARCO MARVLO

Spalatenſi Patricio Latinitate donata.

Marcus Marulus Dominico Papali Salurem !

COMmentariolum à te in Craina nuper repertum inter vetuſtiſſimas gentis illius Scripturas, Dalmatico idiomate compoſitū, tuo rogatu latinū feci, Croatiae Dalmatiaeque Regum geſta continentem, Res certè digna relatu, & quam non ſolum noſtræ vernaculæ linguæ gnari, ſed etiam Latini intelligant. Ex hac enim hiſtoria, & boni exemplum petere poterunt, quod imitentur, & mali per quod ſe ſe corrigant: atque hoc illud fuit, quod, & te impulit, ut me ad hiſtoriam transferendam urgeres, & me ut tibi obtemperarem, magiſtamen tuus erga me Amor laborem hunc coegit me ſubire, quid enim eſt quod illi non debeo. Vale.

Anno Chriſtianæ Salutis M. D. X.

a N.1.

I Vstiniano a partibus Orientalibus Imperante Anno Christianæ salutis D XXXVIII. Quo tempore Germanus, & Sabinus Episcopi erant vitæ Sanctitate Nobiles, & Benedictus Abbas montis Cassinii.

Sfolado Gottorum Rege vita defuncto, Brisius inter liberos ejus natu major successit in Regno. Reliqui duo Totila, & Stroilus, & ipsi dominandi cupidi, ad alias Provincias sibi subjugandas animum intendunt. Igitur Totila, & Stroilus cum à fratre Brisio subsidia impetrassent, ingentes equitum, peditumque copias secum trahentes, Occidentis Regna invadere, & primò quidem infestis armis Pannoniam aggressi sunt, commisso cum Pannonibus prælio superant eos, Regem eorum interimunt, Regnum victoria potiti occupant. Post hæc inde moventes in agro, qui Tarnoviz dicitur castrametati sunt; Hujusque rei rumor Dalmatiæ Regem Salonis tunc residentem timore perculit, & repente legatos ad Regem Istriæ mittendos curat, petit ut si conjunctis viribus à communi periculo se se tueantur, maturentque ire obviâ hosti, ne ille imparatos repentī irruptione opprimat. Igitur subitario milite comparato ambo pari animi audacia procedentes, Castra non procul ab hostium castris posuerunt; per dies octo levibus inter se se cursitationibus decertarunt, postremò exercitibus utrinque in aciem adductis diù dubio Marte pugnatum est. Denique magnis utrinque actis cædibus Regum duorum acies inclinare cepit, Deo ita disponente, licet nec numero, nec armis, nec animi robore essent inferiores, fusi, fugatique sunt, fortasse crimine aliquo sui populi offensa divinitate, genti infideli, atque impio victoriam dedit; Multa millia Christianorum desiderata sunt, Rex Istriæ interfectus, Rex Dalmatiæ gravi sauciore vulnere, fugaque elapsus, Salonas est delatus, Urbem mærorum invasit, & cæde suorum audialugentium, & ululantium clamor perstreperere cepit, è contrario adversariorum vis, atque potentia eorum quos subegerant suffragiis indies augebatur, cumque multitudo Ordinem non caperet fratres divisim exercitibus alius alio movit. b Totila cum suis in Istriam profectus Aquileiam vastavit, Oppida evertit, Italiamque est ingressus Anno Christianæ Salutis DXL VII. Vastatis demum Italiæ locis, ac villis; Urbibusque aliquot solo æquatis, populisque internecione deletis in Italiam transivit, & sicut futurum Benedictus Abbas divino Spiritu afflatus prædixerat, haud multò post, fato est defunctus.

c Stroilus. I. Interea frater ejus c Stroilus Illyrici Regno potitur, deinde Mysiam inferiorem (quæ nunc Bosna nuncupatur) ingressus, cum & ipsam brevi subjugasset, in Dalmatiam descendit, Urbes maritimas deprædatus est, Scardonam oppidum, & Salonas totius Provinciæ Emporium diruit, & evertit, nec dum malis satiat, misit cum parte exercitus filium suum Seviola-

dum ad Dalmatiam mediterraneam, quæ nunc d Croaria dicitur, expugnandam, cumque Iustinianus Cæsar intellexisset, quod Gottorum Dux copias divisisset, dimisissetque à se partem alteram cum Seviolado filio, atque ita esse, ut ferebatur per exploratores certior factus fuisset, coacto repente exercitu Stroilum invasurus abiit; Nec minus promptè atque impigrè Stroilus cum his, quos secum habebat, processit obviam: Erat enim, & ipse animo invictus, ac manu super quam credi potest strenuus, postquam in prociectu steteret acies, manus conferunt, acriter utrinque insistant, arma miscent, nusquam ceditur; Stroilus in medios armorum globos irruens, egregieque sese gerens, vulneribus tandem confectus equo delabitur, cujus casu consternati Gothi terga vertunt, cumque non pauci cecidissent, pars tamen eorum qui fugerant in angustiis magno animo subsistens, atque adversariis repugnans invicta permansit, Cæsariani verò cum ingenti hominum pecudumque præda victores in patriam sunt reversi, at verò e Sevioladus cum talia audisset, patris necem ulturus (si fors ita ferret) cum tota expeditione, quam celerrimè poterat, Bosnam proficiscitur, sed cum adversarios inde jam decessisse comperisset ibidem fratris loco regnare cepit, nasciturque ei filius, cui Silimero nomen fuit. Ipse autem Sevioladus Bosnæ, f Valachiæ, usque ad Poloniæ fines, & Dalmatiæ, Croatiæque imperavit, Christiano nomini infestissimus. Eos itaque qui maritima Dalmatiæ oppida incolunt frequentibus afficiebat injuriis anno Imperii sui XII. vita decedens filio g Selemiro Regnum reliquit; Hic patrinitura, ac moribus longè dissimilis erat. Nam licet & ipse esset gentilis, omnes tamē sibi subiectos perhumaniter, ac perbenignè habebat, jus suum cuique tribuens, neminem lædi permittens, & in exigendis vectigalibus nullum inter Christianos, & gentiles habens discrimen. Plurimi itaque de cætu fidelium, qui ob persecutionem sævitiamque prioris Domini dilapsi fuerant rediere brevique effectum est, ut superior Dalmatiæ pars, quæ h Croatia nuncupatur numquam populosior existimaretur, tranquillè inter omnes degebatur, nullisque lacerantibus bellis pacem agitabant, Salimiro cum XII. annos imperasset, è vivis sublato successit i Bladinus filius mitis admodum, & paternæ mansuetudini æmulus, omnibus carus vixit, verumtamen filium genuit suæ probitatis nimis imparem, ingenioque diversum, Ratimiro nomen erat, cumque adolevisset, insollescere cepit, cum & regnante adhuc patre dominari vellet. Per idem tempus immensa quædam hominum multitudo familias quoque mulierum, ac puerorum secum trahentes transmissa magno amne k Velia in regionem Sinbagiorum irrupit, eaque potitus est

d N.3.

e Seviolad.

2.

f N.4.

g Selimiro.

3.

h N.5.

i Bladinus.

4.

k N.6.

est. Hujus gentis Dux erat nomine Barris, quem nos Cæsarem possumus dicere, sub eo Chiliar-
 chæ, Præfectiq; erāt quorum nutu, atque auspi-
 ciis singuli plebis ordines regebantur, dispone-
 banturque. Hinc profecti *a* Seleuciam sibi
 subegere, deinde Macedoniam, neque ea con-
 tenti, Italiam quoque armis irvalerunt, non se-
 mel cum illis congressus Romanorum Impera-
 tor, cum semper inferior discessisset, Reip. con-
 sulere cupiens, fœdus cum ipsis iniit. Qui pacta
 pacis fideliter observantes, bello abstinebant;
 Bladinus autem *b* Salonarum Rex fama poten-
 tiæ eorum cum non parum tereretur: ubi audi-
 vit sua lingua eos uti, & commercio facile ami-
 citiam ab iisdem se impetraturum ratus, lega-
 tionem misit, nec spe frustratus quod cupiverat,
 obtinuit, neque enim lingua tantum cum illis
 communicabat, verum, & religione, & quo cer-
 tior, atque diuturnior pax haberetur, factus est
 Barri Tributarius, & illo tandem bello, rapinis-
 que abstinentis iis, quos subegerat, felicius præ-
 esse cupiens, cuncta, quæ armis vastata erant,
 novis cultoribus replenda curavit, vectigalium
 remissione, immunitate, & libertate. Interea
 Bladino Rege vita defuncto Regni gubernacula
 filius suscepit *c* Ratmirus, qui avitæ humani-
 tatis penitus expers, inimico animo in Christia-
 nos erat, non pauca Regni oppida, quæ ab illis
 habitabantur, evertit, ipsos verò in servitutem
 redegit, sed iis præcipue infestus, qui maritima
 Dalmatiæ incolebant loca: Itaque quæ avi,
 patrisque benignitas coli frequentarique fece-
 rat, vasta, ac desolata illius reddidit duritia, ple-
 rique Christianorum latebras sibi quæsiere ad
 silvarum deserta, montiumque solitudinem se
 se transferendo, vitamque admodum miserè
 sustinendo, dum spem, foveant, se Deo miserante
 meliorem tandem Dominum sortituros, neque
 illos ea spes fefellit, quamvis usque ad quintum
 Regem dilatus est eventus. Etenim haud mul-
 to post moritur Ratmirus absque liberis, nul-
 laque post se prole relicta, susceptus tamen est
 in ejus locum quidam ex *d* propinquis, deinde
 & hoc mortuo, *e* alius, uterque autem gravis,
 atque molestus Christiano nomini in primis fuit,
 deinde alii *f* duo unus post alium regnaverunt,
 omnes tamen ut melioribus locum darent satis
 celeri morte de medio sublati sunt: Cæterum
 quam diu vixerunt usque adeo nostræ religioni
 infensi erant, ut nonnulli ex Christianis perse-
 cutoribus afflicti ad illorum ritum declinarent;
 sed quibus fides vita carior erat omnia ex-
 trema perpeti malebāt, quam gentilitatis erro-
 ribus implicari. Quintus ab his in Regnum vo-
 catus nomine *g* Satimerus abstinuit à fidelium
 infestatione, atque in omnes pariter æquo ani-
 mo fuit. Eo regnante in publicum prodibant,
 qui diu latuerant, quique antea metu contriti
 partim à fide defecerant, partim fugerant, pristinam
 libertatem usi, ad sua quisque loca redibant. Ea
 tempestate vir quidam nomine *h* Constantius
 Thessalonica erat, multa vitæ sanctitate prædi-

tus, philosophiæ documentis apprime eruditus.
 Hic divinitus inspiratus cum de Thessalonica in
 Cæsaream se transtulisset, Christum evangeli-
 zare cepit, multi convertebantur, credentesq;
 baptizabantur. Denique totam Bulgarorum
 provinciam veritatis prædicatione ab erroribus
 liberavit. Cum ergo defuncto Rege Satimero
i Budimerus vir humanitate, animique man-
 suetudine, & ipse insignis, diadema, sceptrum-
 que suscepisset, à Constantio doctus, Christi
 quoque religionem suscepit, & quoniam literis
 etiam non parum instructus erat, cum philoso-
 phis, aliisque incredulis contendere ausus, non-
 nullos ex iis in Christum credere compulit. In-
 de Cæsaream accedens grater suscepius est,
 ibique Regni sedem posuit, fidelis inter fideles,
 quos jam conversos baptizaverat. Erat tunc
 Summus Ecclesiæ Romanæ Pontifex Step-
 hanus, qui cum mirifica Constantii opera audis-
 set, videre illum cupiens, ut ad se veniret per lit-
 teras petiit. Vir igitur Sanctissimus Constanti-
 us: cum interim ex Pontificis auctoritate
 Presbyteros ordinasset, vetus, novumque tes-
 tamentum à Græco in linguam Slavā transtulisset,
 & ejusdem linguæ missā cōposuisset, Credentesq;
 in fide confirmasset, Romā est profectus, jussis
 Apostolicis id poscentibus, inter eundem ad
 Budimirum Regem divertens, per dies aliquo
 plebi prædicavit fidei lavacro purificatis, Ro-
 mam versus, quo iter habebat discessit. Interea
 fideles, quibus præerat Budimirus omnes uno
 ore Deum laudabant, & Dominum Iesum Chri-
 stum, qui pro salute in se credentium sustinuit
 Crucem, Rex autem quibusdam latinæ linguæ
 non ignaris negotium dedit, ut coactis in unum
 omnibus littoralis Dalmatiæ quondam acco-
 lis, atque habitatoribus loca, oppidaque supe-
 riorum Regum impietate diruta, ac desolata
 instaurarent, & exinde Christi nomen longius,
 latiusque diffunderetur; videbat præterea di-
 versos genere, ac lingua permixtim, confusesq;
 constipari, & eos suis quæcunque locis, suisque
 legibus distinguere maturabat: Sed dum Se-
 niorum, sapientiumque consilio super ea re
 deliberat, nec quisquam quid facto opus esset,
 satis compertum haberet; Legatos Romam ad
 Stephanum Pont. & Constantinum *k* Augu-
 stum misit, ab his rei, quam facere decreverat
 consilium auxiliumque petens, & aliquos de
 Sapientum numero viros, cum veteribus loco-
 rum Urbiumque scripturis, regni sui fini-
 um, atque jurium, qui disponere omnia, ritè
 edocti scirent, & in statum suum redigere, quo
 religionis à se, populoque suo susceptæ fides,
 rebus rectè constitutis certior, atque diuturni-
 or haberetur. Hac legatione audita, Pontifex
 magno afficitur gaudio, postulata concedit, &
 extemplo ad Regem duos Cardinales, ac duos
 Episcopos simul destinat, qui cum venissent,
 Apostolica auctoritate quæ facto opus erat, per-
 egerunt: per illos quippe presbyteri consecrati

i Budimer.

II.

N. II.

k N. 12.

Cc 3 erectæ

erectæ Ecclesiæ, leges rogatæ, & quæcumque novitiis Christianis necessaria erant, plenè perfectæque fuere constituta: Advenienti autem in Campo, qui a Cliuna appellatur, Regi occurrerunt: Ibi enim Rex cum magno procerum suorum comitatu expectatos honorificè recepit: omnes quippe Regni Præfectos ibidem jusserrat congregari, ut omnibus nota essent, quæ agebantur. Igitur per dies octo Apostolici viri nihil aliud egerunt, nisi omnibus persuasum esset, in Christum credere, fidem religionemque propagare, communi omnium salutis consulere, & quicquid deinde Pontificali auctoritate diffinitum fuisset ratum habere, dictis cunctis audientibus scripturæ per dies quatuor lectæ, sicuti hæc monebant, regiones divisæ, metæque finium singulæ impostæ, ac jura constituta: his peractis Budemerium Regem sacro Chrismate delibatum sanctificaverunt, & in dignitate in qua erat, opportunis benedictionibus confirmaverunt, imponentes reliquis omnibus, ut semper dicto ejus audientes essent, jussaque perficerent, & suis post illum hæredibus pari studio obsequerentur. Deinde Archiepiscopos, Episcoposque creaverunt per loca, Dioceses eis assignando, juxta quod in libris vetustæ observationis invenerant: unum ex Archiepiscopis miserunt Salonas cujus quidem Urbis maxima pars tunc diruta erat, & quæque egregia vastationibus deformata b Gothorum inhumanitate, atque sævitia: alterum verò Archiepiscopum Diocliam destinaverunt: Episcopos autem alios aliis locis præficientes illorum Archiepiscoporum jurisdictioni, ac regimini subjecerunt. Tunc Ecclesiarum ædificia, quæ prostrata jacebant, rursus sunt erecta, & ipsorum consecrationibus sanctificata. Præterea Regis edicto cautum est, ne quis illius Ecclesiæ jus usurparet, ne quis clerico injuriam faceret, ne quis adversus Ecclesiasticam libertatem ire præsumeret: sed ut omne Clericorum jus atque potestas præpositorum Ecclesiæ arbitrio diffineretur: læsæ Majestatis reus esset, si quis contra attentare auderet: dictarum (ut dictum est) regionum fines divisi. Postquam autem cuncta secundum pristinam consuetudinem in suum redacta sunt statum, hoc est maritima, mediterraneæque Dalmatiæ loca, & quæ inter flumina Dravum, & Savum Danubium influentia jacent, regionemque, quæ c a Delminii ruinis, ubi tunc Regni concilium factum fuerat, usque ad locum qui Valde-min appellatur, & a Valde-mino usque Dyrrachium protenditur, hanc in partes duas dividerunt, quas dirimebat ripa Drini fluminis Occidentem versus usque Beiram montem, & tractus perpetuus Bosninam provinciam scindens usque ad montem Lippam. His ita separatis, alibi Bani, quos Latini Tribunos vocant, alibi sublimioris potestatis

Duces Præfecti sunt, prout cujusque Regionis exigere videbatur conditio, sub his creati sunt centuriones, ita dicti a militum numero, quibus præerant, singuli Bani: septem centurionibus, imperabat major natus ex centurionibus cum Bano, ut ditionis gentibus jus dicerent. Duces verò ad jus populo dicendum cum quinque Consiliariis Prætoribus confidebant: insuper magistratus, officiaque dividentes, qui Provinciam regerent, exigenterque vestigalia a Ducibus constituta, & quæque Regno, plebique expedientia providerent, a Bani quoque, ut simul cum Centurione judicent, statuerunt: alioquin judicium irritum sit. Quilibet autem prædictorum, de suis vestigalibus partem tertiam pendebat Regi, ut communi omnium Domino, cui subesse omnes, qui Regni finibus continentur debeant; alias præterea leges, ac scita sanxerunt, quæ nunc referre, longum foret, habentur autem in libro, qui est in Croatia dictus e Methodes, quem latine rationale possis dicere: Cardinales tandem Episcopique, & Cæsaris legati probè, ac laudabiliter suo defuncto officio, magnisq; a Rege muneribus donati, reverenterque habitui recesserunt; mox etiam multitudo omnis hominum cum suis Ducibus, Banis, Centurionibusque dilapsa est, in suas quicquæ sedes, patriumque solum rediere: Rex autem ipse Budimerius anno a sua unctione XXXX. mense III. diem clausit extremum, & cum ingenti funeralis pompæ apparatu in æde B. Virginis Mariæ Matris Dei in Oppido Decolio est sepultus: luxit eum populus dies plurimos, nam ex omnibus Regni finibus, ut funus ejus honoraretur, eò convenerunt, non multò antenatus ei filius erat: hunc infantem licet, & in cunis adhuc jacentem, omnes uno animo Regem salutarunt; uncto dictis ab Episcopis, & coronato nomen inditum est f Stetolicus, quod in latinum versus Sanctulum sonat, qui cum adolevisset patris omnium, qui ante illum regnarunt præstantissimi vestigia sequi cepit, sacris deditus, sacræque religionis valde studiosus, cumq; in omnibus se, & summa cum laude gessisset, mortemque obiisset filius ejus g Vladislavus successit in Regno, qui ei duo & viginti annos nato genitus fuerat. Hic quidè, & Corporis viribus, & animi audacia præstabat, sed vita, ac moribus patri, avoque non satis similis habebatur, parum enim religiosè vixit, nec justitiæ serviens, nec legibus parens, quinimò pravis animi cupiditatibus deditus, nihil sibi non licere existimabat, quod collibuisse, maximè illum venatio delectabat, cui intentus, dum die quodam citato equo feram insequitur fortè in foveâ non modicæ altitudinis corruit, atque inde totis artibus elisum exanimemque h traxere, & talis quidem vitæ ejus finis fuit. Regnum suscepit filius i Polislavus, quo regnante Attila Pannonum Rex

a N.13.

b N.14.

c N.15.

d N.16.

e N.17.

f Stetolicus.
12.g Vladislavus.
13.
N.18.h N.19.
i Polislavus.
14.
N.20.

Rex grandi coacto exercitu Regnum ejus invasit. Erat Polislavus juvenis adhuc, virentisq; ætatis, sed manu strenuus, animoque præstans. Itaq; acrius quàm credi poterat cum suis hosti resistit, quoties n. legiones inter se cõvenerunt, semper prælio superior evasit, vidensque Attila nequaquam æquo Marte se configere posse, finibus excessit, & plurimis de suo exercitu amissis in Pannoniam cum ignominia redire est coactus. Posthæc Polislauo Regi nata est filia, quæ jam nubilis, viro tradita, duos genuit filios, atque idem Polislavus anno Regni sui septimodecimo vita decessit, haud parva rerum gestarum fama post se relicta, ut qui pacis, bellique artibus plurimum præstaret. Eo defuncto alter ex nepotibus ejus natu major nomine *a* Sebeslavus regnare cepit, cumque Scodram Regni sui Oppidum Gothi obsedissent, ille coacta suorum non pauca manu audacter, impigrèque castra eorum invasit, ita ut primo impetu eos opprimeret. Hostium igitur, qui Regnum suum bello lacerare non dubitarunt, pars statim alia capta, alia cæsa, alia in fugam conversa, victoriam illi reliquit. Neque enim semper prosperè pugnare possunt, qui plus audaciæ, quàm virium præ se ferunt: Interim Attila Pannoniæ Rex rursus infestis armis fines ejus ingressus, oppidum quoddam vi cepit, cumque bona diripisset, ædes incendit, mænia diruit, & audita Gothorum cæde nihil cunctatus in Regnum suum abiit, Sebeslavus verò nondum de fuga ejus certior factus extemplò copias eò movit, sed hoste, quo cum congregaretur non invento Oppidum, quod solo æquatum fuerat instaurare jussit. Cumque quatuor, & viginti regnasset annos, duos de se liberos reliquit, alteri erat nomen *b* Milivorus, alteri Bladimerus: Hi post patris obitum regnum inter se partiti sunt, arbitrio tamen Milivoi, quia natu major erat: cessit ergo Bladimerio partē Regni ultra montes Danubium versus, partemq; Macedoniæ ad cāpos *c* Argolidis vergentem: ipse verò accepit litorale Regnum, omnemque citra montem tractum mari contiguum, navigationibusque opportunum. Porro Bladimerius Regis Pannoniæ filiam accepit uxorem, liberosque ex ea procreavit: quapropter inter eum, & Pannonos diu pax intercessit, Milivoius autem, cum XII. regnasset annos, vita decessit, nulla de se prole relicta: venit ergo frater *d* Bladimerius, & Regnum consanguinitatis jure possedit, cumque in suo Regno XX. in fratris VIII. regnasset annos, mortem obiit: Filius ejus primogenitus *e* Canimerius post eum diadema suscepit, Regnumque dudum divisum conjunxit, & præcedentium Regum potentiam suis opibus æquavit: Sed quoniam ob quandam animi duriciem in visus plebi erat, illa pars Dalmatiæ, quæ Crovati dicitur ab eo descivit. Quamobrem Rex in furorem versus coacto repente exercitu Macedoniæ Epiri, Mysiæque superioris

ad eos, qui defecerant, debellandos est profectus: Cæterum non minor illis ad repugnandum animus erat, armati obviam processere, in campo, qui Cliuno nuncupatur, inter se concurrunt, diu æquo Marte pugnatum est: interfecto tandem Canimerio Rege cessavit bellum, successit ei filius *f* Tuerdislavus, Regnoque potitus est: mox & ipso sine filiis defuncto, Regnum suscepit nepos ejus *g* Ostrivojus, cui anno III. & XX. sui Regni vita defuncto successit *h* Tolimerus filius, quo regnante nihil contigit turbulentum, ocium, & pax erat, ab armis quies. XI. regnavit annos, & in ejus locum successit *i* Pribislaus filius, quicum multa in eos, quibus præerat, intoleranda commisisset à Myfis, qui nunc *k* Bosnenses appellantur, interficitur, interfecti cadaver in fluvium projicitur: ut sepultura quoq; hominis careret, qui ab humanitate alienus erat: loco ejus regnare cepit *l* Gepimerus filius, potestatem nactus, paternæ cædis auctores pæna affectos vita spoliavit. Eo regnante, ferocissima Germanorum gens à septentrionis partibus veniens, Istriam occupavit, cumque Dalmatiæ fines armis lacerare cepisset, Gepimerus Rex ei obviam petiit, inito prælio victoria potitur, plurimos concidit, pauci in fugam tantum elapsi sunt. Post Germanorum Princeps, ut odia in amicitiam verteret, Gepimeri filiā filio suo Stavozaro petiit Vxorem, factis connubiis sponsalitiis amicè post hæc alter altero usus est. Gepimerus regnavit XXV. annos & VII. menses, cui successit *m* Suetozarus filius, ob insitam sibi mansuetudinem omnibus pariter charus: Hic Radoslavum filium adeò dilexit, ut vivens adhuc illum regnare pro se, juberet: *n* Radoslavus verò, ut tanto beneficio se non indignum probaret, mortuo patre non tantum Regni ejus, sed etiam virtutum se præstitit hæredem, paternosque mores imitatus optimè sese in omnibus gessit: prolem tamen sibi, suisque longè degenerem sortitus est: Filium enim habuit in tantum vitiis corruptum ut Apostatam cognomento appellarent: Seislavo autem nomen fuit, Ecclesiæ non obedivit, vivente Patre Regnum affectavit, in omnes ferè injurius fuit. Banus igitur *o* Bilicus protervitate ejus offensus cum iis, quibus præerat, à Rege defecit: Rex autem Radoslavus, desertores suos persecutus facillè in potestatem redegit ultrò se dedentes, ne Regi quoque adversari viderentur, dum filium ejus detestantur. Banus ipse fuga elapsus est, eis, qui se Regi tradiderunt, crimen remissum, veniaque data, quos autem ceperat Seislavus illos in servitutem redegit, præfectis copiarum suarum oblatis: patri quoque iratus, quod rebellantibus pepercisset; Seditionibus animum intendere cepit plurimi militum, centurionumque terrore compulsi illum sequebantur, quorum opera usus, patrem Regno expulit, Crovatiæque dominatur: ea enim gens parum civilis

f Tuerdislavus 19.

g Ostrivojus 20.

h Tolimerus 21.

i Pribislaus 22.

k Bosnenses 23.

l Gepimerus 24.

m Suetozarus 25.

n Radoslavus 26.

o Bilicus 27.

a Sebeslavus 15.

b Milivorus 16.

c Argolidis 22.

d Bladimerius 17.

e Canimerius 18.

f Tuerdislavus 19.

g Ostrivojus 20.

h Tolimerus 21.

i Pribislaus 22.

k Bosnenses 23.

l Gepimerus 24.

m Suetozarus 25.

n Radoslavus 26.

o Bilicus 27.

cum semper metu magis, quam benignitate ad obsequendum moveretur, bonis quidem Dominis, molesta, improbis autem, & arrogantibus mitis erat. Porro Radoslavus Regno exutus Lactum, cum paucis, quos secum habebat, confugit, ubi cum filium sibi adhuc infensum adventare audisset, vehementer animo angi cepit, comitum magis, quam suum dolens periculum, cum quibus inde raptim recedens, ad mare usque sese fuga proripuit: Sed tunc etiam tergo instare hostem cernentes cum equis in mare simul irruunt, & ad scopulum quendam continenti proximum natando pervenere; atque ita infelix pater, ne una cum illis, qui ipsum secuti fuerant, perditissimi filii manu trucidaretur, vix effugit: cumque ibi per dies aliquot mansisset, nec se satis in tuto putaret, fato quidem, Deique miseratione contigit, ut navis quædam de Apuliæ partibus Dalmatiam versus iter habens, præternavigaret, quæ clamoribus evocata scopulo applicuit: deinde Regem cum toto Comitatu suscipiens, conversa navigatione transiit in Apuliam, ubi illi expositi, terrestri itinere Romam contenderunt. Scopulus verò ille qui fugientes exceperat, Regis nomen sortitus est, quem usque nunc petram Radoslavi appellant, interim impius Seislavus, fugato patre Regnum possedit, donec Deo ulciscente, hostili manu (ut monstrabimus) interemptus, pœnas daret, per idem enim tempus erat in Pannoniæ partibus Vir quidam nomine Tecomilus, presbyteri filius, Magister, custosque armentorum Principis *a* Vdislavi inter Pannonos nobilissimi, cui in primis charus fuit, nam cum ipse Vdislavus mirum in modum venationibus deditus esset, semper in his exercendis, Tecomili opera usus est; hic enim inter hostium globos leonis instar discurrens, & exiliens fundebat, fugabatque; nunc hunc, nunc illum irrequieta ensis ratione reddens, alios saucians, alios protinus interimens: plurimis denique in fugam conversis, ipsum consecutus Principem, in ictu vulnere, ex equo in terram deturbat, ruentique imminens caput abscindit, abscissum Regi jam victori offert, ea tamen pugna eis quoque qui vicerant, cruenta fuit; cum de ipsis etiam non pauci tunc desiderati sint, Seislavus igitur victoria potitus, cum suis lætus, ac triumphans rediit, sed non ita tunc feliciter dimicavit, ut paulò post infelicitate corruit, ne quis diuturnam impunitatem sceleri suo speret, mox enim Vdislavi uxor ingentis animi mulier, audita Mariti cæde, Pannoniæ Regem adiit, auxilium ab eo petens, quo cuncta quæ exigebantur, concedente, continuo magnam vim militum comparat, Seislavi Regnum ingreditur, ipsum in agro forte venantem reperit, statimque tentoria ejus invadit. Seislavus cum nec equum inscendendi spacium habuisset, capitur, nec quisque ex cognatione ejus reliquus fuit, qui tunc in potestatem inimicorum non venisset: omnes enim una cum eo ve-

natum ierant, nihil tale veriti, neque omnino quicquam suspicantes: jussit mulier Seislavum in vincula conici, naribus, auribusque truncari, & omnibus ostentui esse factum sanè spectaculum, sed tantis hominis flagitiis non indignum: Vespero deinde in flumen Savum cum vinculis dejectus præfocatur; atque hunc exitum habuit illa in patrem impietas, in Deumque contemptus. *b* Audita filii nece, Radoslavus, familiarumque ejus internecione, quæ dignas factis pœnas dedissent, Deo gratias egit juxta ejus judica, qua poterat laudatione, efferens, qui, & noxios punire & innocentibus misereri consuevit. Accepta tandem à Pontifice benedictione, Roma decedens in Regnum suum est reversus, mansitque inter *c* Dalmatas maris accolæ: Crovatis verò omnem in juriam emisit, nec quicquam in se commissum iniquè exprobravit, ad clementiam, quam ad vindictam propensior. Interea natus est ei filius *d* Colomanus, qui post patris obitum consensu omnium regnum suscepit, paternarumque virtutum æmulus, ac proinde optimo cuique charus, magnique habitus, cui in pace defuncto successit *e* Chrismerius filius, & ipse in omnibus laudandus, naturæ fortunæque bonis æquè insignis; Sed præcipuè in Deum observantia, atque cultu. Cui unum, & triginta regnasset annos, in demortui loco successit filius *f* Zuonimerus cum ornamentis, ac religione nemini superiorum Regum postponendus, æqui, ac legum præcipuus observator, & proinde pessimo cuique maximè invisus. Eo regnante prosperè, inoffensèque succedebant, omnia quieverant bella, opes augebantur, nec pauperibus erat timori divitum avaritia, nec plebs potentiorum vim formidabat, omnes pariter tuente, ac protegente, ipsa Regis justitia, quæ neminem prorsus ab aliquo vexari patiebatur: cumque omnium pat sibi cura esset, arva colere, pecudes alere, negotiationibus exerceri: numquam antea Regnum illud ulla rerum copia opulentius fuisse memorabatur, abundè in civitatibus erat vestis preciosa, decoraque arma, & phalerati equi, exquisita supellex, auri quoque, argentique vis, gemmæ, Margaritæ, & quæque alia, quæ mortalium animos vel exultatione vel pulchritudine allicere solent, sed ut fit, luxuria in superbiam verti cepit, in summum usque scelus erupturam, quod ex sequenti modò patebit narratione, verumque esse constabit. Contigit enim ut Roma Cæsaris, Pontificisque legati ad *g* Zuonimerum Regem missi cum binis literis venirent, primas Regi tantum legendas dederant, quorum hæc sententia erat. Rogamus, obsecramus te Zuonimere frater Regum Christianorum piissime, ut coacto procerum tuorum, populique concilio, alteram epistolam coram resignari, coramque legi-jubeas, & una cum ipsis deliberes his de rebus, quas nos, Deo benè juvante, aggredi meditamur pro amore Christi

b n. 27. &
n. 28.

c n. 29.

d Colomanus
n. 26.

e Chrismerius
n. 27.

f Zuonimerus
n. 28.

a n. 26.

g n. 30.

Christi, Ecclesiæque Sanctæ utilitate : cum de-
 mum quicquid communi concilio decretum
 fuerit, ut nobis nihil moratus rescribas, effici-
 asque certiores. Vale. Zuonimirus igitur navi-
 ter, sicut regebatur, accersitis omnibus Regni
 sui præfectis, decurionibusque Civitatum, con-
 junctimque habito ad quinque Ecclesias in
 campo, qui Collovis nuncupatur, concilio, lit-
 teras aperiri fecit, & cunctis cum silentio audi-
 entibus, publicè recitari, quæ in hæc ferè verba
 scriptæ erant. Romanus Pontifex & Cæsar Au-
 gustus Zuonimiro Regi populoque ejus salutem.
 Rem certè indignam, & Christianorum Princi-
 pum ignaviæ adscribendam existimamus, ut
 Hierosolymæ, Sanctæque loca, in quibus Chri-
 stus Dominus pro nobis nasci, pro nobis mori
 voluit, ab infidelibus tam diu possideantur; pos-
 sessaque polluantur, profanenturque, & ab
 iisdem illa sacra, Domini mysteria, quæ nobis
 venerationi sunt, probro, derisionique habeantur.
 Idcirco vos, sicut, & reliquos per Orbem fi-
 deles, hortamur, ut nobiscum socia arma jun-
 gentes ad res Christiano nomini repetendas in
 libertatemque vendicandas proficisci, statuatis
 huic rei, cæteros Reges, ac nationes, quibus
 idem scripsimus consensuros speramus: nobis
 autem, tam præclarum facinus conantibus, Do-
 mini opem affuturam, nemo diffidat, quando-
 quidem non nisi ejus nutu, atque instinctu talis
 menti nostræ incidere potuit cogitatio: quid
 ergo consilii vobis sit, hoc est utrum, quod roga-
 mini, facturi estis quamprimum nosse cupi-
 mus. **Valete in Domino.** Id audientes nequissi-
 ma Crovatorum gens protinus indignari cæ-
 pit, ita ut vix literas perlegi pateretur: Non so-
 lum itaque non consenserunt literis & horta-
 tioni Pontificis, & Cæsaribus: verum etiam in Re-
 gem suum insurgentes magno tumultu, & voci-
 feratione conquesti sunt illum hujusce rei au-
 ctorem, ut ipsi relictis conjugibus liberis, pa-
 trioque solo procul per alienas domos errent,
 aliena sequantur Imperia, & non sibi expedire
 loca illa Sancta, si liberentur; atque ita infesta
 concio, pessimis usa consiliis, nequivit inhiberi,
 quin repente, sanctissimum Regem Zuonime-
 rum invadentes multis conficerent vulneribus,
 atque interimerent: eadem quippe illa perfida
 mentis ferocia; quæ ipsos impiissimum Seislavi

partes sequi fecit, & Radoslavum patrem om-
 ni laude dignum virum Regno pellere; in Zu-
 onimerum quoque compulit sævire, non aliter
 furibundi circumstetere, quam cum rabidi ve-
 natorum canes, imbellem cervum nacti, nunc
 latratibus terrent, nunc dentibus laniant; Rex
 autem dum adhuc spiraret, tantæ perfidiæ im-
 manitate commotus, eos devovisse fertur, ne
 umquam sui generis Dominum habeant: Sed
 semper alienigenis Regibus, Principibusve sub-
 jecti sint. Ex illo ad hanc usque diem tempore,
 isthæc maledictio tam certum eventum habu-
 it, ut non ab irato prolaturum, quod tunc dixit,
 crediderim. Sed . . . prænuntiatum,
 Deo volente, palam fieri, quanto gravius luituri
 erant supplicium criminis auctores. Si sic poste-
 ri quoque eorum essent afficiendi: Post hæc
 verba Zuonimerus continuo animam exhal-
 vit, & relicto corpore ad cæleste Regnum trans-
 ferri meruit, cum terrenum, tam benè tenuisset
 per annos quinque & triginta, tam diu enim
 cum potestate vixit. Bella autem Pannoniæ
 Rex hujus nominis primus cum fama inferen-
 te, hoc, quod Zuonimero acciderat, didicisset,
 properè cum expeditorum manu venit, Regno-
 que potitus, possedit omnes Regni partes, Bos-
 nam, Crovatiæ, Dalmatiam, Naronam, sed
 Crovatos, ut Domino suo rebelles, ac partici-
 das laboribus, servitutēque oppressit. Præterea
 cum post hæc Regnum in partes secessisset an-
 no à nativitate Christi MLXXIX. Bosnenses
 Dominum suum sortiti sunt, Naronenses suum,
 Crovati alienum, ne quiseos frustra olim, vel
 immerito à Zuonimiro devotos credat.

Laus Omnipotenti Deo.

^a Hucusque historiam vernaculo gentis no- a N. 31.
 stræ sermone compositam vidi, & quod potui
 diligenter, fideliterque in latinum transposui,
 nihil de sententia dimittens, licet aliqua de
 verbis, quæ superflua videbantur, mu-
 tilans ne lectori oneri
 essem.

